



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

2 An soli homini conueniat communicare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

perfecta. Sicut igitur perfectum contra imperfectum dividitur: ita sacramentalis manducatio, per quam sumitur solum sacramentum sine effectu ipsius dividitur contra spiritualem manducationem, per quam quis percipit effectum huius sacramenti, quo spiritualiter homo Christo coniungitur per fidem & charitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam circa baptismum, & alia huiusmodi sacramenta simili distinctio adhibetur. Nam quidam suscipiunt tantum sacramentum, quidam verò sacramentum, & rem sacramenti. In hoc tamen differunt: quia, cum alia sacramenta perficiantur in usu materia, percipere sacramentum, est ipsa perfectio sacramenti; hoc autem sacramentum perficitur in in consecratione materia. & ideo uterque usus est consequens hoc sacramentum. In baptismo etiam, & in alijs sacramentis characterem imprimuntur illi, qui accipiunt sacramentum, recipiunt aliquem spiritualem effectum, scilicet, characterem, quod non accidit in hoc sacramento. Et ideo magis in hoc sacramento distinguitur usus sacramentalis à spirituali, quam in baptismo.

Ad secundum dicendum, quod sacramentalis manducatio, quæ pertingit ad spirituales, non dividitur contra spiritualem, sed includitur ab ea. Sed illa sacramentalis manducatio contra spirituales dividitur, quæ effectum non consequitur: sicut imperfectum, quod non pertingit ad perfectionem speciei, dividitur contra perfectum.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra dictum est) effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in re. Et ideo sicut aliqui baptizantur baptismo flammis propter desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismo aqua: ita etiam aliqui manducant spiritualiter hoc sacramentum, antequam sacramentaliter sumant. Sed hoc contingit dupliciter. Vno modo propter desiderium sumendi ipsam sacramentum, & hoc modo dicuntur baptizari & manducare spiritualiter, & non sacramentaliter, illi qui desiderant sumere hec sacramenta iam instituta. Alio modo propter figuram: sicut dicit Apostolus I. Cor. 10. quod antiqui Patres baptizati sunt in nube, & in mari; & quos spirituales etiam manducaverunt, & spirituales potum biberunt. Nec tamen frustra adhibetur sacramentalis manducatio: quia plenius inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio quam solum desiderium: sicut supra circa baptismum dictum est.*

q. 66 art. 11.
q. 68 art. 2.
q. 73 art. 3.

q. 66 art. 4.
ad 2. q. 66.

COMMENTARIUS.

Quoniam hoc sacramentum id habet singulare, vt in eo usus à sacramento distingatur, ideo Diuus Thom. postquam de sacramento ipso & causis, atq; effectibus eius, copiose differuit, specialem tractationem de illius usu aggreditur. Dixi autem in superioribus, hunc usum dupliciter considerari posse, primo secundum se, & quoad substantiam suam; Secundo in ordine ad præceptum, seu obligationem moralem. Priori modo tractatur à D. Thoma in tribus primis articulis huius quæstionis, posteriori vero modo in reliquis. Considerandum tamen ulterius est, quamuis hic usus non sit de substantia sacramenti, sed potius sit posterior illa; esse tamen priorem quam effectus, quem ex opere operato sacramentum confert: nam per usum applicatur sacramentum ad efficiendum: & propter hanc causam nos in superioribus ante disputationem de effectu, disputationem speculatiuam de hac sumptione sacramenti præmisimus: vbi diximus, quid illa sit, & quot modis, & in quo subiecto fieri possit: atque ita ibi explicatum reliquimus, quidquid Diu. Thomas in his tribus articulis tradit. Solum igitur circa litteram huius articuli addendum occurrit, distinctionem à D. Thoma datam dupliciter explicari posse: primo, vt diuidat sumptionem

huius sacramenti in conamuni, in sacramentalem tantum, & sacramentalem & spirituales simul, qui sensus videtur iudicari in corpore articuli: vbi dicitur, has duas sumptiones distingui, vt perfectam & imperfectam. Perfecta autem dicitur, in qua & sacramentum & effectus illius sumitur. Et in solutione ad secundum, dicitur, spirituales manducationem includere sacramentalem, sed iuxta hunc sensum diuifio est diminuta: nam omittitur sumptio per solum desiderium, quæ spiritualis manducatio vocatur à D. Thoma, hic ad 3. & art. seq. vnde non est hic sensus ab eo intentus. Secundus ergo sensus est, vt sum. Concluditur huius sacramenti diuidatur in sacramentalem tantum; & spirituales: & quod sub hoc secundo membro comprehendatur ea, quæ est spiritualis tantum & spiritualis & sacramentalis simul. Et hoc modo sumptio spiritualis dicitur includere sacramentalem perfectam, vt comune includit particulare: dicitur etiam perfectior, non quod semper comparatur ad illam vt totum ad partem, sed vt spirituale ad materiale: iuxta hunc vero sensum, qui spiritualiter manducat hoc sacramentum, non semper recipit sacramentalem effectum eius: sed dicitur recipere effectum, quia recipit gratiã, seu vnionem cum Christo.

ARTICVLVS II.

Verum solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod non solum hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere, sed etiam Angelorum, Quia super illud Psal. 77. Panem Angelorum manducauit homo, dicit Gloss. id est, corpus Christi, qui est verè cibus Angelorum. Sed hoc non est, si Angelus spiritualiter Christum non manducaret. Ergo Angeli spiritualiter Christum manducant.

2. Præterea, August. * dicit super Ioan. Hunc cibum & Trinitatem potum, societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis. Sed ad istam societatem non solum pertinent homines, sed etiam sancti Angeli. Ergo sancti Angeli spiritualiter manducant.

3. Præterea, Aug. in lib. de verbis Domini dicit, spiritualiter manducandus est Christus, quoniam ipse dicit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Sed hoc conuenit non solum hominibus, sed etiam sanctis Angelis, in quibus per charitatem est Christus, & ipsi in eo. Ergo videtur, quod spiritualiter manducare non solum sit hominum, sed etiam Angelorum.

Sed contra est quod August. * dicit super Ioannem: Deum de altari spiritualiter manducate, innocentiam ad altare portare portate. Sed Angelorum non est accedere ad altare, & respicere tanquam aliquid inde sumpturi. Ergo Angelorum non est spiritualiter manducare.

Respondendo dicendum, quod in hoc sacramento continetur ipse Christus, non quidem in specie propria, sed in specie sacramenti. Dupliciter ergo contingit manducare spiritualiter ipsum Christum. Vno modo, prout in sua specie consistit. Et hoc modo Angeli manducant spiritualiter ipsum Christum, in quantum ei vniantur fruitione charitatis perfectæ, & visione manifesta (quem panem expectamus in patria) non per fidem, sicut nos ei hic vnimur. Alio modo contingit spiritualiter manducare Christum, prout est sub speciebus huius sacramenti, in quantum, scilicet, aliquis credit in Christum, cum desiderio sumendi hoc sacramentum. Et hoc non solum est spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter manducare hoc sacramentum, quod non conuenit Angelis. Et ideo licet Angeli spiritualiter manducant Christum, non tamen conuenit eis spiritualiter manducare hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod sumptio Christi sub hoc sacramento ordinatur, ad fruitionem patrie, sicut ad fruitionem, &

nem, eo modo, quo Angelis eo fruuntur. Et quia ea, qua sunt ad finem, deriuantur a fine: inde est, quod ista manducatio Christi, qua eum sumimus sub sacramento, quodammodo deriuetur ab illa manducatione, qua Angelis fruuntur Christo in patria. Et ideo dicitur homo manducare panem Angelorum, quia primo & principaliter est Angelorum, qui eo fruuntur in specie propria: secundario autem est hominum, qui Christum sub sacramento accipiunt.

Ad secundum dicendum, quod ad societatem corporis mystici pertinent quidem & homines, & Angeli: sed homines per fidem, Angeli autem per manifestam visionem. Sacramenta autem proportionantur fidei, per quam veritas videtur in speculo, & in enigmate. Et ideo proprie loquendo, non Angelis sed hominibus conuenit manducare spiritualiter hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod Christus manet in hominibus secundum presentem statum per fidem, sed in Angelis beatis est per manifestam visionem. Et ideo non est simile, sicut dicitur.

In fil. prae. clausi est. *
arg. 2. & 3. in
q. 1. art.

COMMENTARIVS.

Diuus Thomas solum mouet hanc quaestionem propter Angelos, nam de inferioribus creaturis, vt per se euident ac manifestum supponit, non esse capaces spiritualis manducationis sacramenti. De Angelis vero videbatur posse esse dubium: quia voluntate possunt Christo coniungi: vnde videntur posse desiderare ac appetere vnionem cum Christo, in quo consistit spiritualis manducatio huius sacramenti. Respondet autem Diuus Thomas: Angelos, quamuis affectu vniantur Christo secundum se, non tamen appetere manducationem eius, prout est sub speciebus sacramentalibus: quia, cum sint incorporei, non sunt capaces huius manducationis: & ideo, licet spiritualiter manducent Christum, non tamen hoc sacramentum, & in hunc modum explicat Diuus Thomas in solut. ad illud Psalm. 77. Panem Angelorum manducauit homo: vt, scilicet Christus dicatur panis Angelorum, quia illum spiritualiter manducant: quia sensus spiritualis est: ad literam enim de Manna ibi est sermo, quae dicitur panis caeli, & panis Angelorum: quia & superne descendit, & per Angelos est subministratus, vt ex contextu constat: & ita exponunt Basil. Theodor. Anthonius, & alij. Sed dicit aliquis: quamuis Angeli non desideret efficaci desiderio sumere hoc sacramentum, tamen simplici quadam complacentia ita ad illud affici, vt virtute saltem sumendi illud, si possent spiritualiter manducare, possint dici, sicut dicunt interdum Patres, Angelis ita placere passionem pro Christo susceptas, vt quodammodo inuideant hominibus, quod illarum sint capaces: nam vellent eas sustinere si possent: hic autem affectus videtur sufficiens ad spirituales manducationem huius sacramenti: homines enim quando non possunt sacramentaliter accipere hoc sacramentum, non aliter sumunt illud spiritualiter, quam per similem affectum: tunc enim non possunt habere actum efficacem, sed simpliciter tantum, seu conditionalem. Et confirmatur, nam ante institutionem huius sacramenti, non erant homines capaces illius: & tamen dicuntur illud manducasse spiritualiter per fidem, & desiderium explicitum, vel implicitum: ergo idem dici potest de Angelis: nam quod incapacitas oriatur ex parte subiecti, vel ex parte sacramenti, nihil ad rem presentem referre videtur. Respondetur ad argumentum, non oportere fingere in Angelis illum modum desiderij conditionalis: quia neque eorum naturae est accommodatum, neque etiam eorum status, quia non per fidem ambulant, sed per speciem, & ideo nihil appetunt, nihil quod eorum statui est accommodatum, & ita Diuus Thomas magis hoc fundat in statu gloriae, quam in conditione spirituali.

Fr. Suarez, Tom. 3.

Angelica naturae: vnde illius conclusio, non solum de Angelis, sed etiam de hominibus beatis, vera est, etiam si animo & corpore sint gloriosi: secus vero est de viatoribus, qui secundum presentem statum capaces sunt huius sacramenti, & absolute possunt ac tenentur illud accipere: & ideo fide saltem, & proposito illi debent vniri, si ex accidenti contingat, non posse actione corporis illud manducare: hoc autem propositum, in affectu appetentis de se efficacis est, licet in re non possit esse per modum absolute voluntatis, ob impedimentum in obiecto propositum. Et hinc ad confirmationem facile est differentiam assignare inter beatos, & viatores fideles, qui praecesserunt institutionem huius sacramenti: quamquam de iis etiam non constet, eos proprie ac formaliter manducasse spiritualiter hoc sacramentum, sed tantum metaphorice & in figura, vt D. Th. dicitur, praecedenti ad 3. Non tamen repugnat, aliquos perfectiores, qui habuerunt fidem explicitam huius mysterij, habuisse etiam quaedam desideria fruendi tanto beneficio, quae potest dici spiritualis manducatio huius sacramenti: quae utilis esse potuit illis hominibus, & accommodata eorum statui ad meritum, & ad excitandum affectum erga Christum, quamuis non esset simpliciter ad salutem necessaria.

ARTICVLVS III.

Vtrum solus homo iustus possit Christum sacramentaliter manducare.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod nullus possit manducare Christum sacramentaliter, nisi homo iustus. Dicit enim Augustinus in libro de remedio penitentiae: Vt quid paratam & ventrem crede, & manducaisti, credere enim in eum, hoc est panem viuum manducare. Sed peccator non credit in eum, quia non habet fidem formatam, ad quam pertinet credere in Deum: vt in secunda parte habitum est: ergo peccator non potest manducare hoc sacramentum, quod est panis viuus.

2. Praterea, Hoc sacramentum maxime dicitur esse sacramentum charitatis, vt supra dictum est. Sed sicut infideles priuantur fide: ita omnes peccatores priuantur charitate. Infideles autem non videntur posse sacramentaliter sumere hoc sacramentum, cum in forma huius sacramenti dicatur mysterium fidei. Ergo pari ratione, neque aliquis peccator potest corpus Christi sacramentaliter manducare.

3. Praterea, Peccator est magis abominabilis Deo, quam creatura irrationalis: dicitur enim in Psalm. 48. de homine peccatore: Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sed animal brutum (puta mus, aut canis) non potest sumere hoc sacramentum, sicut etiam non potest sumere sacramentum baptismi. Ergo videtur quod pari ratione, neque peccatores hoc sacramentum manducant.

Sed contra est, quod super illud Ioan. 6. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: dicit Augustinus: Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur: vnde dicit Apostolus. Iudaeum sibi manducat & bibit. Sed non moriuntur sumendo, nisi peccatores. Ergo peccatores corpus Christi sacramentaliter manducant, & non solum iusti.

Respondetur dicendum, quod circa hoc quidam antiqui errauerunt, dicentes, quod corpus Christi nec etiam sacramentaliter a peccatoribus sumitur, sed quam cito labijs peccatoris contingitur, iam cito sub speciebus sacramentalibus definit esse corpus Christi. Sed hoc est erroneum: derogat enim veritati huius sacramenti, ad quam pertinet (sicut supra dictum est) quod manentibus speciebus, corpus Christi sub eis esse non desinat. Species autem manent, quamdiu substantia panis maneret, sibi adhaeret, vt supra dictum est. Manifestum est autem, quod substantia panis assumpta a peccatore, non statim esse definit, sed manet, quamdiu per calorem naturalem digeratur. Vnde etiam dicitur corpus Christi sub speciebus

Vuu 3. sacra-